

quas impendi laborem magnum, sed gratissimum et exhillarans.

Descriptiones rariorum mittam, quamprimum accepero vestrum responsum ad priores meas literas, dum novero pro certo vestras esse plantas; Alias tam multa in cassum scribere, esset opus ingratisimum oculis meis

Nigrina 80 est profecto singulare genus, nec ejus figura ullibi succurrit, quantum novi.

CAL. *Perianthium* monophyllum ovato-campanulatum, inflatum, 5dentatum, persistens

COR. monopetala, infundibuliformis longitudine calycis. *Tubus* patulus. *Limbus* 5fidus obtusus patulus tubo brevior.

STAM. *Filamenta* 5 filiformia, inferiori tubo inserta, tubi longitudine. *Antheræ* obovatae basi bipartitæ et mucronatae.

PIST. Germen conicum. *Stylus* filiformis longitudine floris Stigma obtusum

PER. Capsula ovata 2locularis?

SEM.

vesicaria NIGRINA¹

Habitat ad Cap. b. spei 2

Caules herbacci erecti teretes sesquipedales

Folia opposita sessilia lanceolata scabra, dente 1. s. 2, scabro

Flos ex singulis alis versus summitatem caulis, pendulus

Pedunculo filiformi laxo Bracteis in medio 2 oppositis

Quercifoliam 110, 113, quam et antea aliquoties accepi, miror me nullibi vidisse cum fructu aut flore, ut ejus vera cognitio cruatur. Quære inter tuas num ne ullibi occurrat flos.

Phyliciflora 123 quoad flores primo intuitu habet multa communia cum *Phylica*, licet modus florendi alius s. lateralis sed flos diversissimus. Ni fallor hæc mas est, et forte alia femina. Si ullibi apud Te occurrat fructus, quæso indices, ut pulchrum obtineatur genus.

Thya 88 refert exacte Cupressum etiam fructu; sed fructus dividitur longitudinaliter quod non in Cupresso, sed uti *Thuja Shaw* afr. 188 f. 188 fructu hanc refert 4 valvi, sed ramuli more equiseti minime pyxidati

Corymbium 2. quære inter Tuas numne et alia distincta species detur foliis latioribus ex ala barbata, caule lævi.

Arbor 92 adeo refert *Brabejum*, ac si esset eadem, sed